



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. lxxxi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Ex dictis S. Isidor. **I**sidorus in Euangelio Ephesi prapostum, id est, sacerdoti ostendit iuxta Malachiam qui dicit: Labia sacerdotum custodiunt scientiam, & legem exquirent ex ore eius: quia angelus domini exercituum est. Candelabrum enim angeli doctrina sacerdotis, vel honor potestatis, quam gestat intelligitur. Candelabrum enim sacerdotis: quia charismata intelliguntur honoris, tunc penitus iuxta Ioannem mouetur, quando post delicta, neglecta pœnitentia, admissa scelera non desunt. Non enim dicit, quia cecidisti mouebo candelabrum tuum, sed nisi pœnitentiam egeris, mouebo candelabrum tuum.

Quod post septem annos pœnitentem sacerdotem censura canonum in pristinum statum remeare precipiat. Cap. LXXXII.

Itē idem. **C**anonum censura post septem annos remeare pœnitentem sacerdotem in statum pristinum præcepit, non expletione proprii arbitrii, sed potius ex sententia diuini iudicij. Nam legitur, quia Maria soror Aarō prophetissa, dum obtrectationis aduersus Moysen incurrisset delictum, illico stigmate lepræ percussa est. Quumque perisset Moysen remundaretur, præcepit eam extra castra egredi septem diebus, & post emundationem rursus eam castris reuerti. Maria ergo soror Aaron caro intelligitur sacerdotis. Quæ dum superbiæ dedita sordidissimis corruptionum macularum et roribus moretur extra castra septem diebus, id est, à collegio Ecclesiæ sanctæ septē annis proiciatur, quibus post emundationem vitiorum, loci siue pristinae dignitatis recipit meritum.

De populi necessario quod inultum soleat præterire. Cap. LXXXIII.

Ex decr. Innocētii papæ epi scopis de Macedoniâ missis **P**ræuideat ergo dilectio vestra hætenus talia transire, & aduertite quod utique ut dicitis necessitas imperauit, in pace etiam Ecclesias constitutas non posse præsumere, sed ut sæpe accidit, quoties à populis, aut à turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari inultum solere transire. Priora ergo dimittenda dico Dei iudicio, de reliquo maxima sollicitudine præcauendum, non enim hic, ut mihi videtur, iste doctor apostolicus dicit non necessariam esse populo pro malè commissis agere pœnitentiam.